



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispytatio CXXI. De Iustificatione, seu Gratiâ habituali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO CXXI.

De Iustificatione, seu Gratiâ habituali.



HÆC ordine postrema tractatus hujus pars est, dignitate prima. Ad gratiam quippe habitualem, veluti ad finem cetera quæ in hac materiâ tractantur omnia ordinantur, huc gratia tum externa tum interna, huc prædicationes, exhortationes, exempla, huc inspirationes sanctæ & illuminationes cœlitus animæ infusa; huc inquam, isthæc omnia tendunt, ut hominem ad excellens hoc donum, justificationis scilicet gratiam recipiendam disponant, per quam rectè ad Deum ordinamur, & transferimur de statu peccati in statum adoptionis filiorum Dei. Iis ergo discussis, quæ præviè ad illius infusionem requiruntur, nunc de gratiâ ipsâ, seu justificatione agendum.

SECTIO PRIMÆ.

Vtrum id per quod justificamur sit aliquid animæ inhaerens.

I. Gratiam habitualement negant tum antiqui tum moderni hæretici.



GRATIAM habitualement præter Pelagium, qui ens omne supernaturale sustulisse videtur, negant nostri temporis sectarii, nosque per justitiam Christi nobis imputatam, non per aliquid animæ inhaerens justificari volunt.

II. Catholica sententia est, dari in nobis donum aliquod internum ac permanentem, per quod justus reddimur, Deoque grati: sic Joannis 14. v. 23. ait Christus. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ubi post nostros actus promittitur adventus Trinitatis in nos, ejusdemque in nobis mansio. Quare S. Augustinus Sermone 57. ait Christum, non solum ad adultos venire, & in iis manere, sed etiam in parvulis, ergo præter operationes nostras, seu gratias actuales, datur alia gratia habitualis, & permanentem, per quam & parvuli & adulti justificantur. Hoc etiam ut infinita alia (quæ in Bellarmino & aliis contra hujus temporis hæreticos scribentibus videri possunt) omitam, probant nomina, quibus passim in Scriptura & Patribus gratia appellatur, ut primæ Joannis 3. Semen Dei, quod in nobis manet, ad Ephesios 1. v. 14. pignus hereditatis, item ibidem signum quo signantur credentes Spiritu promissionis sancto: quæ omnia simul complectitur S. Paulus 2. ad Corinthios 1. v. 21. his verbis: Vixit nos, inquit, & signavit, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.

Hoc ex variis sacra Scriptura testimoniis ostenditur.

III. Cordis mundities est iustitia.

Præterea Matthæi 5. v. 8. ait Christus, Beati mundo corde, quæ beatitudo est iustitia, juxta illud Psalmi trigésimi primi, Beati quorum remissa sunt iniquitates, ergo beatitudo seu iustitia hæc in cordis munditiâ & peccatorum remissione sita est, per quam tolluntur peccata, & Filii Dei nominamur & sumus.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Ex his itaque tria habemus, primò contra Calvinum, Beza & alios hujus temporis hæreticos, non tegi tantum peccata, sicut homo ulceribus plenus pallio, sed verè tolli, ac remitti, quod toties in Scripturis asseritur, ut nullus sanæ mentis negare illud possit. Secundò habemus nos, non imputativè tantum, ut volunt sectarii, sed verè ac propriè justos esse. Tertio tandem habemus, hoc fieri per formam inhaerentem, & quæ simul sit permanentem, quod testimoniis Scripturæ primo loco allatis clarè ostenditur.

IV.

Hinc habetur primò non regi, sed tolli peccata. Non imputativè tantum, sed verè sumus justus.

Hoc etiam disertè affirmant sancti Patres, & præter Divum Augustinum supra allatum, S. Ambrosius lib. 6. Hexameron, cap. 8. hoc modo imaginem Dei supernaturalem in homine explicat: Pictus es ô homo, inquit, & pictus à Domino Deo tuo, Bonum habes artificem, atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fucò sed veritate fulgentem, non cerâ expressam, sed gratiâ. Sanctus etiam Chrysostomus homiliâ ad Neophytos sic habet: Multis quidem videtur, caelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem honores com-

V.

Clarè docet Patres justificari nos per formam nobis intrinsicè inhaerentem.

putabimus decem: Hac de causâ etiam infantulos baptizamus, ut non sint conquinati peccato; ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas homines Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant. Deinde subjungit de Adultis, sed vos dilectissimi fratres, & me quidem similis beatitudo conceperat, similis ornavit gratia. Videatur Bellarminus de justificatione, & alii, qui ex professo hæreticos impugnant. Certè Apostolus manifestè docet nos verè mundari, & sanctificari; sic enim loquitur primæ ad Corinthios 6. v. 11. Ablutè estis, sanctificati estis, justificati estis: item ad Titum 3. dicimur salvati, id est justificati per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.

Asserunt, per gratiam animam intrinsicè sanctificari, justificari, reddi hæretici cœli, & Christi coheredes.

Causa efficiens hujus justificationis est Deus, utpote qui gratiam in animâ producit: causa meritoria est Christus Dominus, sicut ait Apostolus ad Rom. 5. v. 9. Iustificati in Sanguine ipsius, causa formalis est gratia ipsa animæ inhaerens: causa deniq; materialis est anima in se recipiens gratiam, per quam mundatur, & justificatur, ut jam ostensum est,

VI.

De causâ justificationis.

SECTIO SECUNDA.

Sectariorum contra iustitiam inhaerentem objectiones.

I. **N**OSTRI temporis haeretici dum iustitiam inhaerentem negant, mirum est quot se erroribus implicant: cum enim nihil in sacris Literis crebrius dici videant, quam homines iustos appellati, indeque iustitiam aliquam agnoscere cogantur, aiunt tamen non à iustitiâ aliquâ intrinsicâ hanc eos denominationem accipere, sed à iustitiâ Christi, extrinsecè illis imputatâ. Imò Osiander non à iustitiâ Christi, sed ab ipsâ essentiali iustitiâ Dei homines hanc appellationem fortiri contendit. Quamvis autem ex iis nonnulli iustitiam aliquam animâ inhaerentem agnoscere tandem sint coacti, eam tamen imperfectam adeo esse dixerunt, ut nullus per eam iustus aut esse aut dici possit. Hinc ulterius aiebant, non verè tolli ac deleri peccata, sed tantummodo non imputari, sicque sordes illas omnes, quas aliquando in hac vitâ contraxerunt homines, etiamnum in cœlo manere dicebant, tamque fœdas & scabiosas illie jam esse animas, ac dum in terrâ peccatis hærent implicati.

Peccata non tolli dicebat, sed segi.

II. Sed hic error apertè cum divinis Literis pugnat, in quibus nihil frequentius, quam Deum homines quos iustificat mundare, & super nivem dealbare, item tollere ac delere peccata. Deinde docet Scriptura potentiorè esse Christi sanguinem ad homines à peccato mundandos, quam fuerit primi parentis peccatum ad eosdem inficiendos, quod tamen verè homines infecit ac maculavit.

III. Clarissimè docent Patres, non tolli, sed tolli peccata.

Hoc ipsum tam clarè testantur Patres, ut fateatur Calvinus eos huic errori planè esse oppositos. Unus pro omnibus loquatur sanctus Augustinus, qui lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 3. sic habet: *Baptismus abluat peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitationum, sive originalia, sive addita.* Libro etiam tertio de Symbolo ad Catechum. cap. 20. *Omnia, inquit, prorsus delicta delet sanctum baptisma, & originalia & propria.* Præterea libro contra duas epistolas Pelag. cap. 13. sic habet: *Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, &c.* Videatur Bellarminus lib. 5. de statu peccati, cap. 8. ubi plurima in hujus confutationem erroris congerit sanctorum Patrum testimonia: hæc instituto nostro sufficiant.

IV. Obijciunt tamen multa haeretici: primò Christum sæpè vocari nostram iustitiam; ergo sumus iusti per illius iustitiam. Item ad Galatas dicit Apostolus hominem iustificari induendo Christum. Tertio vox ipsa justificationis nil sonare videtur intrinsecum, sed extrinsecum, cum opponatur condemnationi, quæ est quid extrinsecum.

V. Ad primum dico Christum etiam vocari nostram sapientiam & tamen non sumus formaliter sapientes per sapientiam Christi, sed per sapientiam nobis intrinsicam: Christus ergo est nostra iustitiâ causaliter, vel physicâ causalitate vel moralis, sicut etiam & nostra consolatio. Ad secundum respondetur, iustificari nos induendo per imitationem mores Christi: Secundò induendo gratiam, quæ est vestis Christi, seu vestis illa nuptialis, quam nobis meruit Christus: ad quam rem Bellarminus lib. 2. de justificatione, cap. 11. appositè atfert verba S. Augustini Sermone 15. de

Christus est nostra iustitiâ causaliter.

Variis modis dicitur Christum induere.

verbis Apostoli, cap. 9. ubi ait metaphoram vestis aptè significare proprietatem gratiæ, quod à Deo tibi sit, ait S. Augustinus, non tua sit, sacerdos tui induant iustitiam, vestis accipitur, non cum capillis tibi nascitur, pecora de suo vestiuntur.

Gratia est vestis Christi.

Ad tertium dico cum Suario lib. 7. de gratiâ, cap. 6. num. 10. et si vox iustificare subinde in Scripturâ sumatur pro aliquo extrinsecò, sicut in usu forensi, seu pro eodem ac iustum ostendere, ut Luca 10. v. 29. *ille volens iustificare seipsum, & Iſaiæ 5. v. 23. Væ qui iustificatis impium pro muneribus &c.* negari tamen non potest, quin iustificari plerumque in Scripturâ idem sit ac iustum fieri, sic ad Romanos 4. ait Apostolus, *credens in eum qui iustificat impium:* Apoc. ultimo, *Qui iustus est iustificetur adhuc:* quæ & alia huiusmodi intelligi nequeunt pro eodem ac iustum declarare, præsertim in iudicio divino, de quo hic est sermo; Deus enim neminem iustum iudicat, nec declarat nisi qui verè est iustus. Deinde verbum iustificare secundum etymologiam vocis idem est ac iustum facere, sicut calefacere, frigefacere &c. est reddere calidum aut frigidum.

VI.

Quamvis interdum iustificare sit idem in Scripturâ ac iustum declarare, sæpè tamen usurpatur pro eodem ac iustum facere.

Ex ipsâ vocis etymologia ostenditur iustificare esse iustum facere.

Obijciunt quartò: per peccatum Adami nobis extrinsecum constituimur peccatores, ergo & per iustitiam Christi nobis extrinsecam, iusti. Confirmatur: quia homo potest adoptari in filium & amicum alterius per merum actum illius, homini adoptato extrinsecum, ita ut verè sit peculiari modo amabilis, ergo & in Filium Dei. Ad argumentum responderi potest primò, peccatum originale non esse quid nobis extrinsecum, sed unicuique inest proprium, ut definit Concilium Tridentinum sess. 5. de peccato originali num. 3. Respondetur secundò negando consequentiam, si sermo sit de gratiâ Christi, sicut nec Cain, aut Abel potuit esse gratus, calidus aut frigidus per gratiam, calorem vel frigus Adami, nec nos beati aut sapientes per beatitudinem aut sapientiam Christi. Ad summum autem probat hæc obiectio, ita potuisse Christum constitui caput nostrum morale, ut actiones illius bonæ censerentur etiam moraliter nostræ, sicque per eas sanctificaremur, seu gratiam obtineremus. Ad Confirmationem dico quidquid sit de possibili, de facto tamen ex scripturis habemus alio & perfectiori modo adoptari nos & iustificari: illa verò iustificatio est moralis tantum non physica, nec tam perfecta pulchritudo, atque est ea quæ habetur per gratiam habitualem.

VII.

Obijc. Per Acta peccatum sumus peccatores, ergo & per iustitiam Christi: iusti.

Peccatum originale non est quid nobis merè extrinsecum.

Non possunt esse sancti aut sapientes per gratiam aut sapientiam Christi.

SECTIO TERTIA.

Vtrum simul cum gratiâ infundantur virtutes morales.

DICENDUM simul cum gratiâ habituali infundi habitus virtutum per se infusarum, non Theologicarum tantum, sed moralium. Hoc probabiliter suadetur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi ait iustificari hominem per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Deinde Concilium Viennense definit probabilius esse parvulis infundi gratiam informantem, & virtutes. Ad Colossenses etiam primo v. 11. ait Apostolus, *Crescentes in scientiâ Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius.* Quare Innocentius III. cap. *Majores* de baptismo, ait unam fuisse tunc Theologorum sententiam, quod parvulis infunderentur Fides, Charitas, & aliæ virtutes,

I.

Variè ostenditur, unâ cum gratiâ infundi virtutes, tum Theologicas, tum Morales.

virtutes, per quas tamen non potest intelligi sola spes, ut constat.

II. Nihilominus, ut rectè advertit Suarez lib. 6. de Gratiâ, cap. 9. num. 12. & 15. licet hæc opinio multò sit probabilior, & modis loquendi Sancto- rum magis consentanea, non tamen est de Fide, simul cum gratiâ ullam virtutem moralem infundi: et si enim Concilium Tridentinum definiat infundi Fidem, Spem, & Charitatem, de moralibus tamen non adeo clarè loquitur, ut hæc sententia habeatur de Fide; imò nec est in eo gradu certitudinis, ut contraria opinio censeatur temeraria, multò minùs contra Fidem & Scripturam, ut contendit Medina. Quare licet non sit admittenda sententia Scoti, Durandi, & aliorum nonnullorum asserentium non dari hujusmodi virtutes morales per se infusas, imò nec esse possibiles, multò minùs simul cum gratiâ habituali infundi, non tamen meretur censuram.

III. Ratione probatur nostra sententia: sicut enim sunt actus aliqui in substantiâ naturales, qui de Deo auctore naturæ participant, ita nulla est ratio, cur non sint alii, qui sint participationes Dei, ut auctoris supernaturalis; unde cum in Deo sint per identitatem virtutes, etiam morales, erunt similiter possibiles habitus aliqui, ex naturâ suâ ad hos actus in creaturâ rationali eliciendos ordinati, quòd si sint possibiles, nulla est ratio cur unâ cum gratiâ non infundantur, cum per hanc creatura intellectualis statuatur jam in ordine altiori, & fiat peculiari modo particeps supernaturaliter naturæ divinæ, eleveturque ad finem supernaturalem, & consequenter infundi simul cum illâ debent principia proportionata, per quæ possit in omni materiâ conformiter ad hunc finem operari: sicut enim natura postulat facultates intrinsecas, potentias scilicet animæ, quibus possit quis operari in ordine ad finem suum, seu naturalem, ita & gratiâ postulat ad suum finem, nempe supernaturalem: unde & gratiâ à nonnullis hac de causâ vocatur altera naturâ; actus autem qui saltem per se ad hunc finem tendunt, seu meritorii, sunt soli supernaturales. Confirmatur: non videtur siquidem minor necessitas virtutum moralium infusarum respectu suorum actuum, quàm Theologicarum ad actus Theologicos; ergo & providentiæ divinæ, & debitæ ordinationi ad finem supernaturalem magis consentaneum est, ut non minùs virtutes infusæ morales tanquam principia intrinseca horum actuum infundantur, quàm actuum Theologicorum.

Si hujusmodi actus sint possibiles, expedit ut eorum principia simul cum gratiâ infundantur.

Eadem videtur necessitas Virtutum Moralium & Theologicarum.

SECTIO QUARTA.

Solvitur difficultas quædam contra habitus infusos, indeque eorum natura magis declaratur.

I. DICES illa sola virtus est per se infusa, quæ naturæ viribus acquiri non potest, at verò inter virtutes morales, cum versentur merè circa materiam naturalem, nulla est quæ naturæ vires excedat, ergo nulla ex illis est supernaturalis, seu per se infusa. Confirmatur: si enim hæc virtutes infunderentur ab initio justificationis, facilitatem aliquam tribuerent, & vitia contraria excluderent, quod tamen est contra omnem experientiam. R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

tiam, cum videamus homines, postquam gratiam in Sacramento, baptismi exempli gratiâ vel poenitentia, acceperint, æquè pronos esse ad peccata ac antea. Confirmatur secundo: si namque infundantur cum gratiâ, cum illâ similiter amitterentur, cujus tamen contrarium constat experientiâ, si etenim justus quispiam, qui diu se in virtutibus exercuit, in grave aliquod peccatum incidat, per quod gratiam amittat, non propterea perdit virtutes morales, sed æquè promptum se sentit ad actum cujusvis virtutis moralis exercendum, atque ante lapsum.

Virgobis: ergo in habitis acquiruntur, amissa amitterentur facilitate.

Ad argumentum respondetur requiri virtutes per se infusas morales, seu habitus supernaturales, ut sint principia illorum actuum moralium, qui per se ordinant naturam rationalem jam elevatam ad finem supernaturalem, suntque participationes supernaturales naturæ divinæ, sicut actus & habitus naturales virtutum moralium, eam ordinant ad finem naturalem. Ad utramque Confirmationem dico, nil mirum quòd nec horum habituum præsentia nec absentia per experientiam dignoscatur, cum eorum munus non sit, ut dent facile posse, sed simpliciter, sunt enim in ordine supernaturali, sicut potentia in naturali, hæc autem in naturalibus, dant solùm simpliciter posse non facile. Sunt proinde hi habitus infusi merè principia hujusmodi actuum ordinis superioris, sicut potentia inferioris. Unde & post receptam gratiam sentiunt homines, qui antè dediti fuerant desperationi, maximam adhuc propensionem ad desperandum, cum tamen certum sit ex Concilio Tridentino infundi illis habitum supernaturalem spei.

II. Declaratur ad quem finem infundantur virtutes morales.

Hi habitus non dant facile posse, sed simpliciter.

Habitus morales in supernaturalibus sunt sicut potentia in naturalibus.

Licet verò omnis operatio voluntatis liberè elicitæ moralis sit, & hoc sensu omnis actus virtutis ab homine liberè elicitus, actus virtutis moralis dici possit, quo etiam modo actus spei & charitatis, quando liberè eliciuntur, actus morales appellari queunt: virtus tamen moralis propriè dicta, illa tantùm est, quæ non circa Deum immediatè versatur, sed in materiâ solùm creatâ proximè actus suos exercet. Virtutes verò morales ad tria præcipuè capita ex parte voluntatis reducuntur, Justitiam scilicet, Fortitudinem, ac Temperantiam, quibus ex parte intellectûs additur Prudentia, sicque constituuntur quatuor virtutes Cardinales supernaturales, ad quarum tres primas reliquæ morales supernaturales spectant, sicut acquisitæ ad virtutes cardinales naturales.

III. Quid virtutis moralis nomine propriè intelligatur.

Virtutes Morales, in voluntate præcipuè versantur.

Virtutes Cardinales.

Circa objectum formale seu motivum virtutum moralium est difficultas, urrum scilicet supernaturales diversum habeant objectum formale à naturalibus. Inprimis existimo speciale aliquod motivum in illis interdum ingredi, ut cum quis dat eleemosynam, aut aliud opus bonum morale exercet in nomine Christi, in nomine Discipuli &c. aut aliud hujusmodi præstat, ad Deum & vitam æternam spectans. Universim tamen nullam video repugnantiam, ut circa idem objectum, tum materiale tum formale versentur actus tam naturales, quàm supernaturales, ut latè ostensum est suprâ.

IV. Circa idem objectum, tum materiale, tum formale versari possunt actus naturales & supernaturales virtutum moralium.

Simul ergo cum gratiâ & charitate infunduntur habitus supernaturales virtutum moralium, & ea amissâ, amittuntur: si tamen aliquando peccatores fideles opera aliqua supernaturalia moralium virtutum exerceant, quibus se ad gratiam denuo recuperandam disponunt, vel id præstant per auxilium extrinsecum, vel per intrinsecum fluens, vel etiam interdum per habitum spei, si nimirum hæc intuitu

V. Per quid peccatores fideles, actus supernaturales virtutum moralium eliciant.

inuitu salutis animæ, & æternæ beatitudinis præstant, quæ & similia cadunt sub motivo habitus speci.

VI. Disputant hic aliqui de numero & distinctione horum habituum: sed hujus rei locus proprius est in secundâ secundâ: videatur interim S. Thomas, qui hæc exactissimè tradit. Pro præsentibus obiter solum dico, non esse eandem rationem hos habitus inter se distinguendi, sicut est distinguendi acquisitos, cum diversitas facilitatis in variis materiis diversitatem arguat principii facilitantis. Habitus itaque morales infusi, à fide & spe distinguuntur, inter se verò distinguuntur saltem principales, ut cardinales, religio &c. sed de hac re, sicut & de omnibus aliis ad habitus morales supernaturales spectantibus, fusiùs dictum est supra Disp. 97. sect. 7. & 8. Videatur Coninck de actibus, Disp. 7. dub. tertio.

SECTIO QUINTA.

Inquiruntur nonnulla circa gratiam habitualem.

I. **G**RATIÆ habitualis existentiam contra hæreticos tum antiquos tum novos ostendimus, quantum etiam creature rationalis bonum sit, quemque ei splendorem & pulchritudinem afferat, ex parte declaravimus. Ut verò dignitas ejus & excellentia clariùs innotescat, nonnulla circa eam ulterius sunt inquirenda.

II. Primum est, utrum gratia sit rerum omnium supernaturalium perfectissima. Si sermo sit de habitibus illis qui hominibus in hac vitâ conceduntur, indubitatum videtur gratiam habitualem illos omnes in perfectione superare; multo siquidem perfectius & præstantius est facere hominem sanctum & amicum Dei, quam eum reddere potentem ad actus virtutum eliciendos. Ob eandem rationem existimo gratiam perfectiorem esse lumine gloriæ: nec enim tantæ perfectionis est posse producere visionem, atque est subjectum sanctificare, & creaturam rationalem in Dei favorem & amicitiam naturâ suâ asciscere.

III. Queritur secundò: utrum non habitus tantum supernaturales, & lumen gloriæ, sed visionem etiam beatificam gratia in perfectione excedat. Affirmat Suarez, Lugo de Incarn. Disp. 8. sect. 3. circa finem: idem asserere videtur Amicus hic, Disp. 30. sect. 1. num. 17. Ratio est quia gratia est radix visionis, à qua hæc veluti proprietas ab essentiâ dimanat, essentiâ autem quævis proprietatibus suis & passionibus est perfectior. Hæc ratio satis probabilis reddit hanc sententiam.

IV. Mihi tamen probabilis videtur contrarium, visionem scilicet esse gratiâ habituali perfectiorem. Ratio est, quia visio est immediatior & perfectior Dei participatio, quæque singulari quodam modo reddit nos similes Deo, efficitque divinæ confortes naturæ, & ad quam gratia velut ad finem ultimum ordinatur, finis autem ut plurimum est perfectior: is quæ ordinantur ad finem. Ad fundamentum verò opinionis contrariæ dico visionem beatificam non esse passionem gratiæ, nec eam sequi velut proprietatem ad essentiam, sed gratia potius est dispositio ad visionem & beatitudinem. Quamvis autem gratia exigat visionem, hinc tamen non sequitur illam esse hæc perfectiorem; calor enim ut octo, seu ultima dispo-

sitio ad ignem exigit formam ignis, & sic in omnibus aliis compositis, & tamen nulla ultima dispositio est perfectior formâ substantiali, quam exigit. Deinde visio peccatum omne veniale excludit, estque naturâ suâ incorruptibilis, & consequenter æterna, sicut Angelus, gratia singulis momentis est corruptibilis.

V. Quæres tertio: sine gratia perfectior animâ rationali. Affirmant Valentia tomo secundo, Disp. 8. quæst. 4. puncto primo: idemque docet Suarez cap. 13. num. 12. & alii. Existimo nihilominus nec gratiam, nec actum ullum aut habitum virtutis esse animæ rationali aut Angelo vel superiori in perfectione vel æqualem. Ratio est, si namque animam aut Angelum in perfectione excederet, esset vel ratione supernaturalitatis, vel ex propriâ & peculiari ratione gratiæ: non primum, nec enim quicquid est supernaturale excedit in perfectione omnia naturalia, quis etenim dicit ubicationem aut durationem actus alicujus supernaturalis perfectiorem esse supremo Angelo. Neque hoc habet ex propriâ ratione gratiæ, hæc enim ad hominem & Angelum ordinatur tanquam ad finem. Deinde longè alio affectu fertur Deus in hominem, utpote quem prosequitur amore benevolentis, quam fertur in gratiam.

VI. Queritur quartò, in quo subjecto recipiatur gratia, in substantiâ animæ, an in voluntate. Quæstio hæc in illâ tantum sententiâ procedit, quæ potentias distinguit realiter ab animâ, in aliâ siquidem opinione, ut constat, nullam habet difficultatem. S. Bonaventura in 2. dist. 26. q. 5. & alii nonnulli docent gratiam non in animâ immediate, sed in sola voluntate recipi.

VII. Dicendum tamen cum S. Thoma 1. 2. q. 110. art. 4. & alibi, gratiam in ipsa animæ substantiâ immediate recipi. Ratio est: substantia enim animæ est quæ sancta & Deo grata reddi debet, quæque in filium adoptivum per gratiam asciscitur, ergo in eâ tanquam in subjecto immediate statui debet gratia. Confirmatur: gratia (suppono pro præsentibus eam distingui à charitate) non est operativa, ergo non est cur statuatur in voluntate, quæ tota ad operandum ordinatur.

VIII. Dices peccatum subjectatur in voluntate, ergo in eadem subjectari debet gratia, cum sint opposita, opposita autem semper circa idem subjectum versantur. Respondetur, peccatum non in sola voluntate subjectari, nam ut Disp. 13. de anima ostendi, quantumvis potentie distinguantur ab anima, actus tamen tum intellectus tum voluntatis recipi etiam necessariò debent immediate in anima, ut ibidem latè probatum est, ergo peccatum & gratia versantur hic circa idem subjectum, & ab eo mutuo se expellunt. Deinde peccatum in hoc statu naturæ elevatæ; non in solo actu malo à voluntate elicito consistit, sed includit etiam privationem gratiæ, ut supra ostendimus, hæc autem est in ipsa animæ substantiâ, ergo gratia animam informando, privationem illam expellet.

SECTIO SEXTA.

Alia quedam ad plenam gratie habitualis notitiam conducentia: ubi etiam de filiatione adoptiva.

I. Cur gratia habitualis sit participatio naturae divinae.

Nihil apud Theologos frequentius, quam gratiam esse participationem naturae divinae; hic ergo in quo participatio ista consistat, declarandum. Dico itaque breviter, ideo gratiam appellari naturae divinae participationem, quia exigit ut ei in quo est, detur visio beatifica, per quam Deus se homini peculiari modo communicat, reddimurque divinae consortes naturae. Hanc ergo cum connaturaliter petat gratia, ita ut homini in ea decedenti negari sine vi aliqua visio non possit, jure hoc nomine censetur naturae divinae participatio. Qua de re infra, Disp. 124. sect. primam, iterum recurret sermo.

II. Utrum gratia ex natura sua reddat hominem sanctum.

Quaeres: utrum gratia habitualis, quam supra sect. primam dari contra haereticos ostendimus, esseque veram & physicam qualitatem animae intrinsicam, eique inhaerentem; quaeres, inquam, utrum haec qualitas per se & naturam suam reddat hominem sanctum & Deo gratum, an vero haec denominatio sancti & justi ab acceptance Deo extrinseca proveniat, gratia autem non causa, sed signum tantummodo sit hujus effectus ac denominationis.

III. Negant aliqui gratiam ex se reddere hominem amicum Deo.

Quorundam, etiam inter orthodoxos opinio est, gratiam non habere ex natura sua ut hominem sanctum ac justum reddat, & amicum Deo, sed hoc ab extrinseca Dei acceptance procedere. Ratio eorum est; amicitia siquidem tantum est inter aequales, gratia autem habitualis, cum sit quid creatum, non potest hominem reddere Deo aequalem, sed quantumvis eam quis habet, infinita eum inter & summum Numen est distantia.

IV. Ostenditur gratiam ex natura sua reddere hominem sanctum.

Dicendum nihilominus gratiam habituales ex se & praedicatis suis intrinsicis hunc effectum tribuere, hominemque sanctum, justum & amicum Deo constituere: ita communis Theologorum sententia. Ratio est: nec enim ulla apparet implicancia cur dari nequeat entitas aliqua creata, quae hunc effectum per se & sua praedicata intrinsicam tribuat, ut mox ostendam; ergo de facto hoc de gratia habituali est asserendum, cum Patres & Concilia supponere semper videantur gratiam nos justos reddere, & veram esse animae sanctificationem; nec unquam eam dicunt esse tantum signum justitiae, amicitiaeque inter Deum & hominem tesseram.

V. Quo sensu amicitia tantum sit inter aequales.

Ad fundamentum contrariae sententiae, quod scilicet amicitia tantum reperitur inter aequales, dico, licet ad amicitiam quoad omnes accidentales circumstantias completam hoc ab Aristotele & aliis requiratur, essentialis tamen amicitiae conceptus id non postulat, sed in eo situs est, ut quis alium propter ipsum, seu ob bonitatem in illo repertam amet, quantumvis amantem inter & amatum maxima sit in dignitate inaequalitas; Reges quippe ac Principes videmus in alios longè sibi in conditione inferiores hujuscemodi frequenter affectu ferri, omnèsque qui tali eos amore prosequuntur, censere sibi amicos, cuiuscunque demum sortis aut gradus sint.

In quo sensu sit conceptus essentialis amicitiae.

Quod verò gratia hominem reddat hujuscemodi modi amore dignum, inde constat, quod nimium peculiari modo, ut diximus, animam ornet, summèque reddat amabilem, & insuper odium à Deo respectu animae eam habentis excludat, cum ut postea dicemus oppositionem habeat cum peccato mortali, quod est radix & causa odii. Cum itaque odio opponatur, indicio est peculiarem cum amore habere connexionem, eumque subiecto suo conciliare: sicut in humanis venustas & pulchritudo corporis, & aliae qualitates, ut sapientia, nobilitas, suavitas morum, &c. ad hunc effectum saepe moveat corporis eas oculis intuentes.

VI. Declaratur quo pacto gratia hominem reddat dignum amore amicitiae.

Hinc ulterius infero, gratiam per se & praedicata sua intrinsicam nos denominare filios Dei adoptivos, nec ad hoc opus esse ullam extrinsecam acceptance Deo. Ratio desumitur ex dictis: gratia enim, ut ostensum est, per se & entitatem suam intrinsicam hominem reddit sanctum, justum & amicum Dei, petitque visionem seu beatitudinem subiecto cui inest, & consequenter dat ei jus ad hereditatem, hoc autem est fieri filium adoptivum in personam extraneam, & realiter à Deo distinctam, seu non habente filiationem naturalem. Haec communis fere est Theologorum sententia, paucis cum Bellarmino libro secundo de Justificatione, cap. 16. docentibus contrarium.

VII. Gratia per suam entitatem intrinsicam reddit hominem filium Dei adoptivum.

Quaeres, utrum habitus charitatis, posito quod à gratia distinguatur, tribuat etiam illi in quo est filiationem adoptivam? Communior multò inter Theologos sententia est negativa. Ratio est: habitus siquidem charitatis ex natura sua ordinatur ad operationem, estque principium actuum supernaturalium charitatis effectivum, in hoc autem non est situs conceptus filiationis adoptivae, ut constat, posse namque alium amare non est esse filium ejus adoptivum, nec habere jus ad hereditatem. Et licet concederemus actus supernaturales amoris Dei, ab habitu charitatis elicitos, esse per se gloriae meritorios de condigno, non tamen hominem actus illos producentem constituerent Filium Dei, gloria siquidem in hoc casu per modum mercedis ei deberetur, non per modum hereditatis, quod tamen est necessarium ad conceptum Filii adoptivi.

VIII. Utrum Charitas, si à gratia distinguatur, tribuat filiationem adoptivam.

Gloria bene operanti, non per modum hereditatis debetur, sed mercedis.

In sola ergo gratia habituali consistit hominis justificatio & sanctificatio, conceptusque essentialis filiationis adoptivae. Unde si nec habitus charitatis, nec ullus alius habitus supernaturalis esset in animâ, gratia nihilominus hominem justificaret, redderetque Filium Dei adoptivum: quod in nostrâ sententiâ clariùs constat, qui gratiam ita cum peccato mortali pugnare dicemus, ut nec divinitus consistere simul possint. Si tamen dicere quis velit, charitatem & reliquos habitus supernaturales spectare ad complementum aliquod justitiae, praesertim cum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. dicat justificationem fieri per susceptionem gratiae & donorum, non abnuo. Sola tamen gratia, ut dixi, est essentialis sanctificatio, utpote quae sola est natura, ut ita dicam, in ordine supernaturali, & ad quam charitas & alii habitus veluti ad radicem sequuntur: unde pro aliquo priori ad horum donorum infusionem sit essentialis justificatio.

IX. Si sola gratia habitualis esset in animâ, hominem sanctificaret.

Charitas & alii habitus spectant ad complementum aliquod justitiae.

Quaeres tandem, utrum conceptus sancti & Filii adoptivi constitui possit per denominationem extrinsecam. Quoad denominationem sancti, existimo illam proprie tribui non posse, nisi per formam intrinsicam; sanctum quippe idem est ac perfectum

X. Conceptus proprius sancti & justus requirit formam intrinsicam.

perfectum, qui conceptus sine formâ intrinsecâ videtur haberi in rigore non posse, quicquid sit de sanctitate aliqua imperfecta & metaphorica. Et idem existimo de conceptu *justi*.

XI. *Silatio adoptiva fieri potest per denominationem extrinsecam.*

Quoad conceptum verò *Filii adoptivi*, si per Filium adoptivum non intelligatur aliud, quam quòd aliquis extrinsecè eligatur ad gloriam & beatitudinem, non video cur hoc facere nequeat Deus alicui, etiamsi nullam habeat gratiam habitualem, atque cum adoptare & dare jus ad hereditatem caelestem & aeternam, sicut homo unus alium adoptat ad hereditatem temporalem & terrestrem. Hæc tamen adoptatio non est tam perfecta, ac illa quæ fit per gratiam, aut aliam hujusmodi formam intrinsecam.

Idem censeo de denominatione *amici*: si enim per amicum solum velit quis, Deum decernere tot ac tanta, alicui bona concedere, quot concedere solet amico, potest is hoc sensu dici Dei amicus, cum enim singulari quadam ratione bene ei velit Deus, singularem etiam dici poterit ad se terminatam habere Dei benevolentiam & amorem. Existimo nihilominus, quanta ea cunque fuerint bona, quæ in ipsum confert Deus, nisi inter illa sit vel unio hypostatica, vel visio beatifica, vel gratia habitualis, vel forma aliqua sanctificans, hominem illum, quantumvis sit amatus à Deo, non futurum propriè Dei amicum.

XII. *Denominatio amici potest provenire à denominatione extrinsecâ.*

DISPUTATIO CXXII.

De condonationem extrinsecam.

DE NOMINATIONEM sancti & justii diximus sine formâ intrinsecâ dari non posse, sed ad hunc effectum, vel gratiam habitualement, vel quid simile in animâ existens esse necessarium. Nunc ergo ulterius inquirimus, utrum saltem sine hujuscemodi formâ intrinsecâ transire quis possit de peccatore in non peccatorem, ita nimirum ut nec gratiam habeat, nec peccatum: qua de re non levis est inter Theologos controversia, & ex æquo fermè divisi sunt Auctores, acriterque & prolixè de hac questione inter se disceptant: illam ego qua potero brevitate expediam.

SECTIO PRIMA.

Vtrum peccatum condonari possit extrinsecè.

I. *Non est hic sermo de actu quo peccatum retrahitur.*

NON hic quarimus an ad peccati remissionem requiratur dolor aliquis ex parte illius qui peccatum admisit, per quem scilicet illud retrahet, hoc enim propriè spectat ad materiam de poenitentia, ubi Deo dante examinabitur sed sive ponatur in peccatore actus retractationis sive non, quarimus utrum Deus per actum aliquem suæ voluntatis peccatum condonare possit, an ad peccati ablationem necessaria sit gratia habitualis, vel alia forma intrinsecâ oppositionem habens cum peccato, ut magis declarabitur numero sequente. Quamvis autem hæc disputatio præcipuè procedat de peccato personali, aliqua tamen subjungam de originali.

II. *Actum aliquem poenitentia ad peccati remissionem de lege ordinariâ requiritur.*

Quarimus ergo, num per divinam

Peccata itaque mortalia de facto remitti diximus per formam intrinsecam, illam scilicet, per quam homo justificatur, quæ ubi infunditur peccata omnia mortalia expellit, & transfert de statu peccati in statum Filiorum Dei. Hic ergo quarimus, utrum saltem per divinam potentiam possit peccatum per condonationem extrinsecam seu voluntatem Dei, nihil in subiecto producendo intrinsecum remitti, imò nullo præcedente actu ex parte hominis justificandi. Dixi per divinam potentiam, de

lege enim ordinariâ requiri saltem actum aliquem poenitentia ad remissionem peccati alibi ostendimus. Imò Suarez & alii putant hoc esse de Fide ob varia Scripturæ loca, poenitentiam ad peccatorum remissionem requirentia.

Notandum, sermonem hic esse de peccato habituali, non actuali, saltem ut plurimum, hoc namque pro uno saltem instanti remitti nequit, nec enim tolli potest dum est, quicquid autem est, unico instanti sit necesse est: existimo tamen in aliquo vero sensu remitti posse peccatum actuale, quando etenim quis in instanti A. commisit peccatum aliquod mortale, potest Deus immediatè postea ei infundere gratiam, per quam peccatum illud remittatur, sed in hoc casu nunquam fuit in illo homine peccatum habituale, sed solum actuale, ergo. Quod idem esset, si quis per quadrantem, vel horam in eodem peccato actuali persisteret & primo instanti quo cessaret, Deus ei infunderet gratiam.

Notandum secundo, in peccato habituali tris reperiri, primò hoc quod est peccasse, quod nunquam tollitur nec tolli potest: secundo maculam moralem, quæ consistit in ipso actu præterito mortaliter manente: tertio privationem gratia, hæc (quidquid sit utrum in ratione peccati tolli possit per condonationem extrinsecam, de quo postea) propriè auferri nequit, nisi per mutationem Physicam, gratiam scilicet ipsam animæ infusam.

Prima sententia negat posse peccatum per solam condonationem extrinsecam, & sine vel gratia habitualis

III. *Sermo est præcipuè de peccato habituali.*

Quo sensu potest peccatum actuale remitti.

IV. *Tria quædam præterita in peccato habituali repeririuntur.*

V. *Prima sententia negat*